



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rervm
Christianarvm Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. V. De LXX. Interpretibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

in pueritia, sacerdotio ejus succedit. Hic multos scripsit libros, & præclara ingenii sui monumenta reliquit. Inter multa & innumera sua opuscula quoddam de LXX. Interpretibus elegans miraculum narrat.

C A P. V.

De LXX. Interpretibus.

Ptolemaeus, inquit, *Lagi filius, volens Bibliothecæ suæ, quam apud Alexandriam ex omnium Græcorum voluminibus construebat, majorem gloriam quærere, petit etiam ab Hierosolymis, ut eorum Hebræas scripturas, in Græcam lingua interpretatas, acciperet. At illi (quippe subjecti erant Macedonibus) electos, & in Scripturis sanctis in utraque lingua peritissimos viros, LXX. presbyteros, miserunt ad Ptolemaeum : In quo tamen voluntas Dei & consilium gerebatur. Tunc ille, singulorum volens accipere documenta, & verens, ne forte per interpretationem occultarent insertam divinis voluminibus veritatem, singulos à se in vicem separat, & eadem seorsim positos interpretari jubet, eumque interpretandi ordinem in singulis voluminibus observari. Quosque rursum coram se in unum revocare, & conferre ad invicem, quæ singuli interpretati fuerant, jubet. Et tunc Deus vere glorificatur, & Scriptura sancta, quod vere divina sit, agnoscitur. Omnes enim eadem, iisdem verbis, iisdemque nominibus, interpretati sunt ab initio usque in finem, ita ut & ipsi, qui aderant, gentiles agnoscerent, quod Dei nutum scripturæ interpretatae sunt. Nec mirum, cum Hesdram*

G sacer-

sacerdotem inspiraverat Deus ad reparationem Hebræorum
voluminū, sub captivitate Nabugodonosor Regis corruptorum.

C A P. VI.

De eodem.

Hoc Irenæi testimonium ad reverentiam divinarum
scripturarum posuimus, licet quibusdam ecclesi-
asticis viris videatur Apocryphum, pro eo maxime,
quod Iosephus, scriptor Hebræorum, nihil tale affirmat,
sed in una eademque Basilica scribit eos pariter con-
tulisse. Quod & beatus Hieronymus in præfatione
Pentateuchi contestatur. Sed jam ad narrationis or-
dinem revertamur.

C A P. VII.

De miraculo in exercitu Christianorum.

Igitur, Antonini temporibus, quibus tot mala illata
esse referuntur, Marcus Aurelius frater ejus bella in-
fert Sarmatis ac Germanis: cuius exercitus dum siti
periclitatur, quidam milites Christiani, qui aderant,
supplicant; quorum supplicationibus, & pluvia large
de cœlo profusa reficit exercitum, & fulmina crebro
corruscantia fugant eminus hostes. Narrant & hoc
Gentilium historiæ, sed qui hoc à nostris impetratum
esse, subticendo dissimulant. Antoninus regnavit xix.
annis.

C A P. IX.

De diversis hæresibus diversorum hæreticorum.

Interea moritur Antoninus, Commodus succedit Impe-
rio.